

pulsivam prorogata loquentem, « nulla jurisdictionis est, » addit: « scilicet ipso jure, sicut nec dos per vim promissa, » etc. Concordat Bartolus ibid. § *Nota casum*. et Abbas loc. cit. n. 22, ubi per dictam legem concludit, quod judicia agitata per tyrannos sint ipso jure nulla, licet populi per metum ipsos receperint in suis civitatibus; quia jurisdictionis gravi metu extorta, ipso jure est nulla, per cit. I. II, § 1. Sicut in simili absolutio a censuris per metum extorta, omnino viribus caret, cap. un. *De his quæ vi metusve causa*, etc., in 6.

138. IV. *Ut prorogantes non sint a jure impediti prorogare; et hujus exempla.* — IV. Ad prorogationem validam jurisdictionis ex parte prorogantium ulterius requiritur, quod non sint a jure impediti, seu prohibiti, quominus prorogare valeant. Textus est in cit. I. II, § *Si et iudex*, ff. *de Judiciis*, ibi: « Nisi principali jussione specialiter prorogatio fuerit inhibita. » Sic non valet prorogatio jurisdictionis in causa feudali, invito domino, arg. c. *Cæterum*. 5. *de Judiciis*, et notat Abbas, ubi supra, n. 48, citans alios. Similiter clerici jurisdictionem iudicis laici in se prorogare nequeunt, utpote prohibiti a jure, c. *Significasti*. 48, h. t. cum similibus, atque illico amplius dicitur. Proinde

139. *Clerici nequeunt in se prorogare jurisdictionem iudicis ecclesiastici, absque consensu proprii episcopi.* — Quæritur III. An etiam clerici possint in se prorogare jurisdictionem iudicis non sui? Resp. I. Quamvis laici id possint, nihilominus clerici nequeunt in se prorogare jurisdictionem alterius iudicis ecclesiastici, nisi accesserit consensus proprii episcopi. Textus in d. c. *Significasti*. 48, h. t. ubi Abbas, Vivianus, Barbosa, et communis. Ratio disparitatis est, quia clerici ratione ordinis suscepti, vel recepti beneficii ecclesiastici, propriis episcopis ac prælatis specialiter dignoscuntur esse obligati: unde creditori canonum expedire visum est, ut sicuti non possunt clerici ab alieno episcopo ordines recipere sine licentia proprii, c. *Ad aures*, 5. *de Temporib. ordinat.*, cum similibus; ita nec alieni prælati iudicium subire valeant sine consensu proprii, can. *Nullus primus*, et can. *Nullum episcoporum*, et seqq. 9, q. 2.

140. *Nec jurisdictionem laici, etiam de consensu episcopi.* — Resp. II. Loquendo de iudice laico, nequit clericus etiam de consensu proprii episcopi, jurisdictionem in se prorogare. Ita Glossa fin. communiter recepta in cit. c. *Significasti*. h. t. juncto textu ibid.

dum inquit: « Clerici tamen in iudicem non suum (nisi forte sit persona ecclesiastica, et episcopi diocesani voluntas accedat) consentire non possunt. » Ubi ponderandum ly « nisi forte sit persona ecclesiastica, » etc. Accedit ratio, quia privilegium fori est introductum in favorem totius ordinis clericalis: atqui tali privilegio, privatorum pactis derogari non potest, c. *Si diligenti*. 12, h. t. atque amplius dicitur infra § 10, n. 242 et seqq., ubi etiam solvantur objectiones.

141. *Ut clerici possint in se prorogare jurisdictionem iudicis non sui, quæ requirantur?* — Unde concludendum cum Speculatore lib. II, tit. *De competentis iudicis alienatione*. § *Generaliter*. n. 22, et aliis, ad hoc, ut clerici possint in iudicem non suum consentire, seu ejus jurisdictionem in se prorogare, requiri sequentia quatuor. I. Ut ille præsit ordinariæ jurisdictioni. II. Ut sit persona ecclesiastica. III. Ut id fiat de consensu sui episcopi, cit. c. *Significasti*. h. t. IV. Ut id fiat de consensu utriusque partis: cit. I. I et 2, ff. *de Judiciis*.

142. *Prorogatio jurisdictionis hodie in utroque foro raro admittitur.* — Tacentur nonnulla alia prorogationem jurisdictionis, et consurgentem inde corapetentiam fori concernentia. Siquidem, ut notat Ludov. Engel. tit. *de Officio iudicis*, n. 32, post Jo. Monachum in tract. *de Prorogat. jurisdic.* cap. II, n. 6, et Matth. Stephanum *de Offic. iudic.* part. I, lib. I, cap. VII, n. 65, hodie generaliter tum in ecclesiastico, tum in sæculari foro, raro, aut nonnisi cum consensu priorum dominorum, prorogatio jurisdictionis admittitur: eo quod dominis territoriorum hodie pleniori jure, quam olim, scilicet patrimoniali, seu feudali competat jurisdictio, quam proinde per factum subditorum suorum inturbare non sinunt. Idem observat Christoph. Klingensperger lib. I. *Institut. Justinian.* tit. XX, q. 8, asserens, quod prorogationem jurisdictionis praxis moderna saltem in foro politico, si non etiam ecclesiastico, haud amplius admittat; cum jurisdictio hodie hæreditaria, et sicut venatio in Germania sit valde zelotypa.

§ VII.

DE MODO EXTRAORDINARIO SORTIENDI FORUM EX QUALITATE CAUSARUM, UBI ET DE CAUSIS MIXTI FORI.

143. *Forum causarum spiritualium, et spiritualibus annexarum, nec non feudalium, quale?*

§ VII. DE MODO EXTRAORDINARIO SORTIENDI FORUM EX QUALITATE, ETC. 227

— Quod ratione causarum spiritualium, ac spiritualibus annexarum, sortiatur quis forum ecclesiasticum, patet ex dictis tit. præced., § 3, n. 36 et seqq. ubi ostensum, tales causas nonnisi per iudicem ecclesiasticum cognosci ac terminari posse. Similiter, quod causæ feudales coram domino feudi sint agitandæ, sicque ratione feudalium causarum ibidem forum quis sortiatur, fusius declaratum fuit. cit. tit. præced. § 9, per totum. Quibus proinde nunc suppositis,

144. *Causæ dicuntur continentes, tripliciter, et quomodo?* — Quæritur I. An, et qualiter ratione continentiae causarum, quis forum sortiatur? Ubi prænotandum cum Jasone in l. *Nulli prorsus*, n. 3, C. *de Judiciis*, et aliis, quod « Causæ dicuntur continentes, » seu quamdam habeant inter se connexionem, tripliciter. I. Ratione subjecti, seu rei, de qua agitur: prout fit, quando duo judicia competunt ad eandem rem, ac v. g. causa possessionis et proprietatis, circa ipsam simul intentatur; vel quando circa eandem rem diversæ moventur quæstiones, una principaliter, et alia incidenter: prout accidit, si mota causa matrimonii, hujusque nullitate declarata, oriatur quæstio super dote restituenda. II. Ratione generalis actionis; quando nimirum diversæ res, seu causæ speciales, continentur sub una generali actione, v. g. tutelæ, negotiorum gestorum, etc. III. Ratione pluralitatis personarum, quas concernunt: ut si plures socii in actione aliqua individua conveniantur; vel si inter plures cohæredes actio familiæ herciscundæ instituitur; aut, si actione contra unum instituta, tertius interveniat pro suo interesse, ac hujusmodi. His prænotatis,

145. *Continentia causarum regulariter non debet dividi.* — Resp. I. Regulariter loquendo, causæ continentia non debet dividi, l. *Nulli. C. de Judiciis*, cum similibus: adeoque ratione continentiae seu connexionis causarum, datur competentia fori apud iudicem illum, qui super causa cognoscit ut etiam super alia eidem connexa cognoscere possit ac debeat; sive dein sit iudex ordinarius, sive delegatus. Ita Abbas in c. *Prudentiam*. § *Si vero*. n. 2, *de Offic. delegat.*, et in c. *Veniens*. 38, n. 8, *de Testib.* Gailus n. 4, *Practic.* observat. 70, n. 1 et 2, allegans communem. Licet enim cæteroquin jurisdictionis delegata sit stricti juris; ita quod non comprehendat, nisi expressa in rescripto. c. *Cum dilecta*, 22, *de Rescript.* Nihilominus istud non procedit

in connexis et accessoriis, l. 2, ff. *de Jurisdic. omn. judic.*, et c. *Prudentiam*. 24, § *Se vero. de Offic. delegat.*, cum similibus.

146. *Idque exemplificatur.* — Sic quando inter plures familiæ herciscundæ agitur, aut communi dividendo, vel finium regundorum, aut quando inter cohæredes, vel socios, sive inter plures tutores oritur actio, omnes eundem iudicem assumere debent, l. 1 et 2, ff. *De quibus rebus ad eundem iudicem eatur*. Ubi Bartolus in summario generaliter infert: « In causis connexis plures, licet diversi fori, coguntur apud eundem iudicem litigare. » Idque merito: tum ut illi plures citius in unum conveniant, nec dividatur causæ continentia: tum ut evitetur absurditas, quæ alioquin oriri posset, si unus iudex sit, alius aliter de personalibus obligationibus seu præstationibus iudicaret. Textus, et Glossa cit. l. 1, §. *Eundem*.

147. *Idque exemplificatur.* — Similiter causa matrimonii, et causa dotis eidem accessoria, dividi non debet, sed coram eodem iudice etiam delegato tractari et terminari. Textus est in c. *De prudentia. de Donationib. inter virum et uxorem*, ubi loquendo de iudicibus delegatis dicitur, « Eos qui de matrimonio principaliter cognoverunt, et de dote (quæ causa incidens) accessorie cognoscere valere, et sententialiter diffinire. »

148. *Idque exemplificatur.* — Insuper, quod super causa possessionis et proprietatis, non possint diversi iudices postulari, sed ob causæ continentiam debeat utraque sub eodem iudice agitari, patet ex cit. l. *Nulli. C. de Judiciis*, et c. *Ad ultimum*. 2, *de Causa possess. et propriet.* Aliud hujus exemplum habetur in c. *Causa. De in integrum restitut.*, ut similia taceantur.

149. *Fallit tamen, quando causæ sunt alterius naturæ et ordinis.* — Dicitur notanter in conclusione, « regulariter loquendo. » Nam regula illa, quod causæ continentia non debeat dividi, solummodo procedit loquendo de causis ejusdem naturæ ac ordinis, sive gradus: secus autem, si sint alterius naturæ, ordinis seu gradus. Unde, quando coram iudice laico agitur causa civilis, incidit autem quæstio spiritualis, v. g. super validitate matrimonii, juramenti, etc. Iudex sæcularis non potest cognoscere super hac quæstione incidenti, utpote causa mere spirituali; sed tenetur hanc remittere ad iudicem ecclesiasticum, ac interim in causa principali supersedere, c. *Lator*. 5, et c. *Causam quæ*. 7. *Qui*

fieri sint legitim., et amplius declarabitur tit. X de Ordine cognitionum. n. 31 et seqq.

150. *Si non opponatur exceptio causæ connexa non dividendæ, valet processus coram diversis iudicibus factus.* — Resp. II. Nihilominus exceptio « causæ connexa non dividua, » ad similitudinem aliarum exceptionum declinatoriarum fori, ante litis contestationem opponi debet, sicque opposita impedit litis ingressum; alioquin, si fuerit omissa, valebit processus coram diversis iudicibus factus. Ita Felinus in c. *Ex tenore*. n. 49, de Rescript. Jason l. *Nulli prorsus*. n. 6, C. de Judiciis; Engel h. t. n. 83, et alii. Idque desumitur ex c. *Inter monasterium*. 20, de Sentent. et re iudicat. Siquidem non opponens huiusmodi exceptionem ante litis contestationem coram diversis iudicibus subeundo iudicium, censetur juri suo renuntiassse.

151. *Causæ mixti fori, quæ?* — Queritur II. Quid censendum de causis mixti fori? Resp. I. Causæ mixti fori dicuntur, quæ in utroque foro, tam ecclesiastico scilicet, quam civili tractari possunt, ita ut præventioni locus sit. Ita desumitur ex can. *Sunt quedam*. 23, q. 5, et cap. 1, de Offic. ordinar., ac notat sac. Congregatio immunitatis in Sorana 18, februarii 1631, apud Jacob. Pignatellum, tom. V, consult. 2, n. 58, et Engel h. t. n. 67, et alii. Dantur etenim aliquæ causæ, quæ licet ex se, et ex natura sua sæculares sint, nihilominus propter certam adjunctam qualitatem spiritualem, etiam respiciunt forum ecclesiasticum, aut econtra: ac proin, sic suadente æquitate canonica, lege, seu consuetudine, in utroque foro agitari possunt; ita tamen, ut qui prævenit, ab altero impediri amplius in iudicando non possit.

152. *Aliæ sunt civiles, aliæ criminales. Inter causas mixti fori recensentur contractus inter laicos initi, ac juramento confirmati. Dummodo agatur de executione talium contractuum, et non de valore juramenti.* — Resp. II. Causæ mixti fori aliæ sunt civiles, aliæ criminales. Ita communis; et probatur inductione. Et quidem, ut taceantur nunc causæ criminales, de quibus concl. seqq. inter causas civiles mixti fori connumerantur imprimis contractus inter laicos initi, ac juramento firmati. Etsi enim talis contractus ex se, ac originaliter, sint de foro sæculari, nihilominus propter adjunctam qualitatem juramenti, atque ut fideles a peccato perjurii revocentur, etiam ad iudicium Ecclesiæ pertinere dignoscuntur, c. *Novit*. 13, de Judiciis, junctis concordant-

tiis ibidem a Glossa *̄. Pacem.* et *̄. Non est dubium*, allegatis. Intellige, si de executione talium contractuum quæstio moveatur, ut cap. ult. h. t. in 6. Nam si de valore, seu obligatione juramenti agatur, cognitio privative ad iudicem ecclesiasticum pertinet eo quod talis quæstio sit meri spiritualis, cap. II, de Pactis, in 6 et c. *Licet mulieres, de Jurejurand.* in 6, et cap. ult. h. t. in 6, ac notat Joan. Andreas ibid. n. 3, et Engel h. t. n. 68.

153. *Item postulatio restitutionis in integrum ab Ecclesia contra laicum petita.* — Insuper inter causas civiles fori recensetur postulatio restitutionis in integrum, si ab Ecclesia petatur contra laicum, arg. cap. I, *De in integrum restitut.* et c. *Ad nostram*. 11, de Rebus eccles. non alien., ubi talis restitutio in integrum per iudicem ecclesiasticum facta legitur. Engel h. t. n. 71, post Gutierrez Canon. quest. lib. I, cap. xxxiv, n. 10.

154. *Et causa viduarum, pupillorum, et aliarum miserabilium personarum, sed in tribus dumtaxat casibus. I. Quando iudex sæcularis negligens est in administrando eis justitiam.* — Rursus ad causas mixti fori pertinent causæ viduarum, pupillorum et aliarum miserabilium personarum: non quidem omnes indifferenter, sed in tribus casibus, in quibus jus canonicum indulget eisdem etiam actricibus, ut laicos ad forum ecclesiasticum trahere valeant. Et tales proinde causæ dicuntur *mixti fori*, non quod in ipsis detur locus præventioni inter iudicem ecclesiasticum et laicum (prout solet accidere in delictis), sed quia ejusmodi miserabiles personæ possunt tunc suos adversarios convenire, in quo maluerint foro. Pignatellus cit. tom. V, consult. 2, n. 55. Et quidem primus eorumdem casus est, quando iudex sæcularis negligens est in administrando illis justitiam. Textus est apertus in c. *Ex tenore*. § fin., et ibi canonistæ omnes de Foro compet.

155. *II. Quando sunt spoliata, sicque agunt interdicto* Unde vi. — Secundus casus est, quando vidua, pupillus, seu alia miserabilis persona, a laico fuit violenter oppressa, seu rebus suis spoliata, ita ut interdicto *Unde vi*, seu remedio can. *Redintegranda*, agere valeat: nam tunc, sive dives fuerit, sive pauper, sæcularibus iudicibus omissis (forte quia perhorrescit potentiam adversariorum) potest laicos spoliatores suos immediate ad ecclesiasticum forum trahere. Textus est in c. *Ex parte B.* 15, h. t., ubi regina Angliæ vidua,

spoliata quodam castro, spoliatores suos coram iudice ecclesiastico convenisse legitur; et tradunt ibi canonistæ communiter. Concordat can. *Si quis de potentibus*, 24, q. 3, et c. *Super quibusdam*, § fin. de Verb. signif. Nam Ecclesiæ interest, etiam divinitate jubente, pupillos, viduas, aliasque miserabiles personas defensare ac tueri, can. 1, et 2, dist. 87.

Additur notanter, « rebus suis spoliata. » Quia istud est speciale in possessorio recuperandæ respectu miserabilium personarum oppressarum, seu rebus suis spoliatarum, etiam divitum. Secus dicendum in petitorio: tunc enim vidua, vel pupillus, ubi dives est, non potest laicum coram iudice ecclesiastico convenire, nisi super causa mere ecclesiastica (quod est commune omnibus) vel in defectu iudicis sæcularis, cit. c. *Ex tenore*. juncta Glossa ibid. *̄. In justitia*. h. t. estque proxime dictum n. 154. Vel nisi sit vidua, seu pupillus, et pauper simul, juxta mox dicenda. Siquidem

156. *III. Quando viduitas v. g. et inopia concurrunt.* — Tertius casus est, quando vidua, pupillus, seu alia miserabilis persona, simul est pauper. Ubi enim vidua v. g. simul est pauper, sicque viduitas et inopia concurrunt, tunc in causis etiam civilibus, ac nulla interveniente ejus despoliatione, aut iudicis laici negligentia, habet ipsa fori electionem potestque laicum adversarium suum ad iudicem ecclesiasticum trahere. Ita desumitur ex c. *Significantibus*. 38, de Offic. delegat., argumento a sensu contrario desumpto: et c. *Super quibusdam*. 26, § fin. de Verb. signif., ac notat Abbas in c. *Ex tenore*. n. 2, n. t. juxta relatos tres casus concordans jura iuribus. Sperellus decis. 156, *Fori ecclesiast.* n. 9, et 10 et 14, allatos tres casus per ordinem declarans. Jacob. Pignatellus tom. III, consult. 24, n. 3, allegans declarationem sac. Congregationis immunitatis, quæ resolvit in Æsina 31 maii 1649, et in Maceratens. 18 novemb. 1653, pauperes miserabiles posse convenire debitores suos coram episcopo, Maranta, part. IV, *Speculi aurei*, dist. 11, n. 9, et alii ab his citati.

157. *Causa dotis, an sit mixti fori?* — Tacetur una cum nonnullis aliis causa dotis. Licet enim Abbas in c. *De prudentia*, n. 7, de Donationib. inter virum et uxorem, post Innocentium ibid., velit. eam esse mixti fori; opposita nihilominus sententia, videlicet causam dotis principaliter motam solius esse

iudicis sæcularis; est Glossæ in cit. c. *De Prudentia*. *̄. Incidens accessorie*. Sanchezii, lib. x de Matrim. disp. 8, n. 15, et communis aliorum. Quanquam si de dote solum agatur incidenter, seu accessorie, puta ratione divortii instituendi, palam, et extra controversiam sit, quod tunc causa dotis restituendæ coram eodem iudice ecclesiastico, qui sententiam divortii tulit, simul sit ventilanda, per textum in cit. c. *De prudentia*, et Glossam ac doctores ibid.

158. *Causæ criminales mixti fori, quæ? De facto pleraque crimina sunt mixti fori quoad pœnam irrogandam.* — Resp. III. Causæ criminales mixti fori dicuntur illæ, quæ versantur circa crimina, a jure tum canonico tum civili prohibita ac punienda. Cujusmodi sunt homicidium, adulterium, incestus, sodomia, perjurium, sacrilegium, blasphemia, sortilegium, divinatio, magia, et huiusmodi; de quibus fuse agunt Abbas in c. *Cum sit generale*, n. 17, et seqq. h. t. Farinacius, lib. I, *Criminal.* tit. II, quæst. 8, n. 129, et seqq.; Julius Clarus lib. V, *Pract. crimin.* § fin. quæst. 37, et alii. Siquidem ex una parte ad Ecclesiam pertinet, de quocumque mortali peccato corripere quemlibet christianum, c. *Novit*. 13, § *Cum enim, de Judiciis*; unde præsertim in libro quinto *Decretalium*, de variis criminibus per Ecclesiam puniendis tractatur. Ex altera vero parte hodie pleraque crimina etiam puniuntur in foro sæculari; idque vel vi juris civilis communis, vel saltem propter diversos recessus imperii, et constitutiones pœnales Carolinas: sicque de facto, si non omnia, saltem pleraque crimina, quoad pœnam irrogandam sunt mixti fori: quanquam de consuetudine plerumque Ecclesia punitionem criminum inter laicos commissorum relinquat iudici sæculari, arg. can. *Sunt quedam*, 23, q. 5, Engel, h. t. n. 75.

159. *Excepta hæresi.* — Additur hic notanter, « saltem pleraque crimina. » Quia hinc excipi debet crimen hæresis, utpote quod est mere ecclesiasticum, c. *Ut inquisitionis*. § *Prohibemus, de Hæretic.* in 6, ac proinde respectu ejus solus iudex ecclesiasticus, non autem sæcularis, etiam inter laicos, est competentens. Farinacius cit. quæst. 6, n. 127, citans plurimos alios. Quamvis sæculares principes, potestates ac rectores locorum, ad commotionem et requisitionem episcoporum teneantur fideliter atque efficaciter Ecclesiam contra hæreticos eorumque fautores adjuvare ac defendere, juxta officium et posse

sum, c. *Ad abolendam*. § *Statuimus*. et c. *Excommunicamus*. § *Moneantur, de Hæretic.* Et proinde, paucis loquendo, iudices sæculares in ordine ad crimen hæresis, nullo quidem modo se possint intrromittere respectu cognitionis; bene tamen respectu executionis, ad requisitionem Ecclesiæ. Abbas. cit. c. *Cum sit generale*, n. 49, h. t.

160. *Excepta simonia*. — Similiter, quod simonia sit crimen mere ecclesiasticum, atque ideo iudex sæcularis non possit aliquo modo se de eo intrromittere, neque cognoscere, tenet Abbas d. c. *Cum sit generale*, nu. 20, h. t. Julius Clarus in *Practio. criminal.* l. V, § *Simonia*. n. 7, Farinacius d. quæst. 8, n. 128, citans doctores communiter. Et merito: nam simonia dicitur hæresis, can. *Quicumque*, et can. *Cum liqueat*. l. q. 1, et c. *Quoties de Simonia*, et alibi: ac proinde, sicut hæresis est crimen mere ecclesiasticum, ita et simonia.

161. *Et quid de læsione infra dimidium justipretii?* — Posset hinc etiam excipi læsio, sive deceptio infra pretium dimidii pretii, in venditione facta. Siquidem venditor deceptus infra dimidium justipretii, non habet actionem in foro civili, l. II, C. *de Rescindend. vendit.*, secus in foro ecclesiastico. Nam, cum in foro conscientie quilibet notabilis læsio compensari debeat, simulque Ecclesia procedere valeat super quolibet criminali peccato, c. *Novit*. 13, § *Cum enim; de Judiciis*: recte propter gravem læsionem, etsi non excedat medietatem justipretii, potest iudex ecclesiasticus adiri ut cogat peccantem, etiam per censuras, si opus fuerit, ad penitentiam et satisfaciendum graviter læso. Fachineus, lib. II, cap. xxv; Engel h. t. n. 65, et alii. Sicque crimen gravis læsionis infra dimidium justipretii, est fori dumtaxat ecclesiastici, non mixti: atque idem dicendum de similibus delictis, quæ in foro civili non puniuntur.

162. *Aut, quando queritur de valore, et honestate actuum?* — Additur insuper n. 158, « quoad poenam irrogandam. » Quia, si queratur de valore ac honestate actuum, puta, an tale juramentum sit licitum ac servandum, necne; an talis contractus sit usurarius, necne; an matrimonium validum, necne ab ejus violatore fuerit commissum adulterium, necne; ac hujusmodi: tunc tantam causarum cognitio privative pertinet ad iudicem ecclesiasticum. Secus, quando de talibus constat, atque agitur solummodo ad

poenam delinquentibus imponendam: quia hanc potest uterque iudex imponere; ecclesiasticus quidem secundum canones; sæcularis autem secundum leges imperiales, aut territoriales. Abbas cit. c. *Cum sit generale*, n. 21, h. t. et alii, atque concordant dicta superius n. 152 et 153. Occasione cujus

163. *Punitus per iudicem sæcularem super crimine mixti fori, an possit puniri etiam per ecclesiasticum; et econtra?* — Queritur III. Utrum punitus per iudicem sæcularem super crimine mixti fori, possit denuo accusari ac puniri per iudicem ecclesiasticum, et econtra? Resp. I. Quando poena ab alterutro iudice inflictæ fuit satis sufficiens ad criminis punitionem, eique commensurata; tunc punitus in uno foro non potest amplius desuper accusari ac puniri in altero foro. Ita Abbas in c. *Tua*, n. 5, de *Procurator*. et c. *Cum sit generale*, n. 4, h. t.; Covarruvias, lib. II, *Var. resol.* cap. x, n. 6; Barbosa in c. *Felicis*, nu. 38, de *Pœnis*. in 6, et alii ab his citati. Ratio est, quia nec Deus iudicat bis in idipsum. Naum. cap. i, et can. *Sunt phœres*; § *Auctoritas de pœnit.* dist. 3; nec de delicto unius hominis sæpius sæpius queritur, c. *De his criminibus*. 6, de *Accusation*. Simulque bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur. Reg. 83. juris in 6.

164. *Saltem, ubi imponitur poena nimium levis ad vindictam*. — Resp. II. Loquendo tamen de atrocibus delictis, ac ubi in uno foro imponitur poena nimium levis ad vindictam, ut puta excommunicatio (quæ potius est medicinalis, non punitiva et mortalis, cap. I. de *Sentent. excomm.* in 6.), nihil obstat, quominus crimen illud etiam in altero foro accusari et puniri valeat. Ita Abbas, et Covarruvias, ubi supra, Joan. Andreas c. *Felicis*. n. 8, de *Pœnis*, in 6; Engel h. t. n. 76, et alii plures; contra Barbosam in d. c. *Felicis*. n. 38, et alios, quos citat. Ratio conclusionis desumitur ex l. *Placet*. § *Si quis*. C. de *Sacro-sanct. Eccles.*, estque canonizata in can. *Generaliter*; § *Placet*. 16. q. 1, ubi in transgressores dictæ legis, seu immunitatem personarum ecclesiasticarum violantes, duplex poena, ab utroque foro infligenda, statuitur, illis verbis: « Si quis contravenerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos promenda est, exilio deportationis perpetuo subdatur. » Concordat cit. c. *Felicis*. § *Per hoc quoque; de Pœnis*, in 6. ubi dicitur, quod per illas poenas, quas ibi pontifex promiserat ac statuerat occidentibus, aut percutien-

tibus cardinalem, non adimatur facultas sæcularibus potestatibus, quominus contra tales possent procedere, ipsisque imponere poenam legalem contra sacrilegos statutam. Idem ergo dicendum de aliis criminibus atrocibus mixti fori, ob paritatem rationis: quidquid contradicat Glossa ibid. § *Adimimus* dicens, istud esse speciale in dicto casu propter criminis horrorem; regulariter autem secus esse. (ADNOTATIO XXXII.)

§ VIII.

DE MODO EXTRAORDINARIO SORTIENDI FORUM RATIONE PRÆVENTIONIS, ET EX LEG. DIFFAMARI, AC ALIIS.

Præventio jurisdictionis, quid? — Queritur I. Quid sit, et qualiter inducatur præventio jurisdictionis, per eamque forus competens acquiratur? Resp. I. *Præventio*, de qua in proposito, dicitur illa, per quam unus iudex jurisdictionem alterius, cæteroquin etiam competentis, prævenit, seu præoccupat; ita, ut iste amplius causæ præventæ se nequeat intrromittere. Ita in re communis.

66. *Contingit tripliciter*. — Et talis præventio potest contingere tripliciter. I. In causis mixti fori; de quibus supra §. præced. n. 151, et seqq. II. In reo mutante domicilium, postquam a iudice prioris loci jam citatus, sicque præventus fuit; ut c. *Proposuisti*. 19. h. t., estque uberius dictum supra § 2. n. 43. III. In pluribus delegatis in solidum: nam tunc uno eorum negotium inchoante commissum, alii se nequeant ulterius intrromittere, c. *Cum plures*. 8. de *Officio delegat.* in 6.

167. *Inducitur per citationem legitime interpositam*. — Resp. II. Præventio fori, seu jurisdictionis, inducitur per citationem legitime interpositam. Desumitur hoc ex c. *Proposuisti*. 19. h. t., ubi Glossa inquit, ac pluribus probat; quod per solam citationem perpetuetur jurisdictio tam ordinarii, quam delegati, Concordat textus in l. *Si quis postea*. ff. de *Judiciis*, estque communis. Idque merito; nam, ut habet reg. 54. juris in 6: « Qui prior est tempore, potior est jure: » ac proinde etiam iudicis præoccupantis, seu legitime citatione prævenientis, in causa illa potius jus, seu melior conditio esse debet præ alio, vel aliis, licet cæteroquin competentibus iudicibus. Simile quid contingit in c. *Non injuste*. 14. de *Procurat.*, et c. *Si quis iusto*. 46, de

Elect. in 6. et l. *Qui prior*, ff. de *Judiciis*, cum similibus. Unde

168. *Bene legitima citatione præventus ab uno ex pluribus iudicibus, sortitur forum coram eo*. — Resp. III. Reus legitima citatione præventus ab uno ex pluribus iudicibus, sortitur forum coram ipso: adeo, ut iudex præveniens procedere debeat in causa, alteriusque, licet cæteroquin competentis iudicis jurisdictionem silere et quiescere faciat. Ita Federicus de Senis consil. 97. § *Venio ad recitationem*; card. Tuschus litt. P. concl. 646. n. 1; Prosper Farinacius, lib. I. *Praxis criminal.* tit. I, de *Inquisitione*. quæst. 7, n. 52, pluribus ampliationibus hanc conclusionem illustrans; Gailus lib. I. *Pract.* observat. 29. n. 5, et alii. Ratio est eadem, quæ num. præc. Accedit, quod, ubi cœptum est iudicium, ibi de jure finiri debeat, l. *Ubi cœptum*, ff. de *Judiciis*.

169. *Si tamen non opponitur exceptio præventionis, valent gesta coram alio*. — Infertur proinde, quod si aliquando non obstante præventionem iudex concurrens causam præventam acceptare velit, contra ejus jurisdictionem excipi possit jura præventionis: siquidem exceptio præventionis est declinatoria fori. Maranta in *quæst. legalib.* disp. 6, n. 26. Quod si vero non opponatur exceptio præventionis, valent gesta coram alio iudice, quam qui prævenit; Mascardus de *Probationib.* concl. 1233, n. 13; Gailus cit. observat. 29, n. 6, et alii.

170. *Citatio invalida non arctat citatum, nec perpetuat jurisdictionem citantis*. — Dicitur notanter in conclusione, « Reus legitima citatione præventus, » quia, ut præventio per citationem inducatur, requiritur, ut hæc fuerit legitime facta, c. *Proposuisti*, 19. h. t. Ad hoc autem requiritur imprimis, ut citatio sit valida: nam citatio invalida, seu facta a iudice incompetente, vel alias a jure reprobata, nec arctat citatum, c. *Bona memoria*, 36, juncta Glossa fin. de *Elect.* Nec perpetuat jurisdictionem citantis, arg. cit. c. *Proposuisti*, h. t., ac notat Abbas n. 6, et Barbosa ibid. n. 5; Federicus de Senis d. consil. 107, § *Venio ad expositionem*. Farinacius cit. quæst. 7, n. 61, et alii. Ratio est, quia quod nullum est, nullum producit effectum. c. *Illud*. 8 de *Jure patronat.* Et paria sunt, non esse, et nullum esse, arg. l. *Duo sunt Titii; de Testamentar. tutel.*

171. *Ut inducat præventionem, debet citatio emanasse auctoritate iudicis, atque ad petiti-*